

1126, marzo, 25.

*Don Pedro Froilaz, Conde de Traba, y su esposa hacen donación al Monasterio de Pedroso de la Iglesia de San Saturnino.*

CDP n.º 3: *Ibi. Orig., perg. de 305×420 mm.*

(*Crismón*). In nomine Patris et individue Trinitatis, ex ambobus procedens Spiritus Sanctus et cum Christo genito utriusque procedente. Ego Comes domnus Petrus, filius Froilat, et uxor mea comitissa Domna Maior, cognomento Gunterode Rodriguiz, bonorum desideriorum supplementi, quia conspectu futuri iudicis nemo vacuus debet apparere dum in hoc mortali corpore positi sumus, in quo, propheta asserente, "tempore accepto exaudivi te", et cetera, fructuosum penitentiae tempus nobis concessum esse cognoscimus, bona indeficienter operari debemus. Quocirca nos Comes domnum Petrum et comitissa domna Maior, supra taxatos, damus sancte Marie et sancti Salvatoris de Pedroso seu eiusdem congregationi in eodem loco commorantes, scilicet, Archidiacono domno Gundisalvo, sub vero dominio detenti, per concessum nostri Abbatis Petri Gundesindit, Cardinalis sancti Iacobi, Ecclesiam de Sancto Saturnino de Trasanchos, cum omni sua voce, quantum ad eandem Ecclesiam pertinet vel pertinere debet; et est sita subtus Monte Acuto, discurrente rivulo Iuvia; et dedit nobis illa Regina domna Urraca, cum alia hereditate, pro nostris servitiis et fecit nobis inde cartam firmissimam. Et nos quidem Comes domnus Petrus et Comitissa domna Maior hoc testamentum confirmare studemus, nichil foras ex eo pretermittendo. Hoc testamentum seriem idcirco fieri constituimus quatinus vos, a supradictis temporale presedium habentes, pro animabus nostris et nostrorum parentum orare et intervenire studeatis. Ab isto siquidem die et deinceps licenciam donandi et velle vestram voluntatem ex eadem faciendi concedimus.

Quod si aliquis homo, nostre seu extranee vel cuiuscumque conditionis, clericalis seu secularis persona, hoc scriptum a me, non egro sensum editum, violare voluerit, primitus ab Ecclesia sequestretur et quicquid temptaverit, triplici satisfactione componat; testamentum vero in robore permanente. Facta dote sub era M.C.LX.III, et quot VIII kalendas aprilis.

Ego Comes domnus Petrus et Comitissa domna Maior in hanc dotem manus nostras roboramus.

(1.<sup>a</sup> columna):

Pelagius Godesteit, iudex, confirmat. Didacus, Dei gratia, Archiepiscopus et sancte Romane Ecclesie Legatus, quod fieri iussi, confirmat (*Signo redondo, con cruz en medio. En el círculo exterior se lee: "Verbo Domini celi firmati sunt"*). Godesteus qui notuit.

(2.<sup>a</sup> columna):

Abbas domnus P(etrus) de Antealtaris, confirmat. Petrus Danielis, clericus et publicus iudex, confirmat.

(3.<sup>a</sup> columna):

Petrus, testis. Pelagius, testis. Didacus, testis. Munius, testis.

(4.<sup>a</sup> columna):

Qui presentes fuerunt: Petrus Gutiérriz, confirmat. Petrus Icartiz, confirmat. Petrus Martinit, confirmat. Furtunus Vermuit, confirmat.